



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Epistola Pastoralis Illustrissimi Ac Reverendissimi Domini
D. Humberti Guilielmi A Præcipiano, Archiepiscopi
Mechliniensis**

**Precipiano, Humbert Guillaume de
Lovanii, [1692]**

Caput VIII. De Sacramento Pœnitentiæ, præloquium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39186

(22)
C A P U T V I I I .

De Sacramento Pœnitentie , præloquium.

Nunc veniendum ad gravissimum Pastoris munus & periculi plenum , quod in fideli Sacramenti Pœnitentiae administratione consistit. Id nos ante omnia sollicitos habet , noctesque & dies excruciat. Adeo multis , adeo variis pulsamur quotidie querelis , aliis nimium quorundam rigorem & ferream duritiam culpantibus , & aliis immodicam laxitatem & ignavam conniventiam vocantibus in crimen. Nullibi tantâ opus prudentiâ , tantâ circumspetione , tanto judicio ac spiritûs discretione , tantâ bonorum Auctorum peritia , sententiarumque delectu , tot occurrentibus perplexis ambiguisque quæstionibus , ne suorum conscientias injustis vinculis gravent , aut justis sine causa expediunt. * Hinc Synodus Mechliniensis II. S. Carolo adstipulante in sua Instruccióne monet , * ut ob graves & diversos scrupulos , qui Pœnitentibus indies occurunt , & plurimas difficultates sibi cohærentes habent , bonos & classicos auctores non nullos , qui casus conscientiae ex professo tractant , manibus continuò terant. Leges in negotio tanti momenti omnibus & singulis servandas præscribere arduum est , & tantum non impossibile : in quo unicuique sua probitas & maturitas , ac proximi amor , & in Christum fides debet esse pro legibus. Mensem tamen nostram super hoc aperire brevibus & dilucidè haud gravabimur.

C A P U T I X .

De Lenitate Confessarii.

Ante omnia Sacramenti hujus administri ob oculos propositum semper habeant Christi Domini Dei servatorisque nostri exemplum , cuius in hoc munere vices obeunt : lenitatem ejus & benevolentiam , ac pronam in reos culpam suam agnoscentes voluntatem imitantur , cui vitio aliquando versum est à superbis malignisque hominibus , quod peccatores reciperet , cumque illis vesceretur. Fuerit licet cardiognostes , hoc est cordium scrutator , nihil illum

ex

* Tit. 5. c. 5. cap. 1.